



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

DE || LIBERTATE || CHRISTIANA ||

Lensaeus, Johannes

Antverpiae, 1590

Capvt V. Ex Cypriano.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46059](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46059)

CAPVT V.

Ex Cypriano.

DI VVS Cyprianus in libro de exhortatione martyrij, sic ad martyrium Christiani hominis animum confirmat, vt dicat nullam esse excusationem ei pro se non patienti, cum sit Christus pro nobis passus. Et rursum, quia sit ille passus pro peccatis alienis, multo magis pro suis vnumquemque pati oportere: quid aliud insinuans, quam martyres Christianos hoc differre à martyrum principe Christo, quòd hic pro peccatis alienis passus sit, illi verò pro suis peccatis torqueantur? In sexto quoque Machabæorum martyre non solum virtutem, sed etiam humilitatem prædicandam esse ostendit: quòd nihil sibi vindicavit, nec confessionis suæ honorem superbis vocibus ventilarit; sed peccatis suis potiùs adscripserit, quòd persecutionem à Rege pateretur. Quid verò idem paulo post? nempe id quod in cõtrariam possit cogitationem abducere. illic enim filios martyres propter sua peccata punitos significare viderur. At subiungit tamẽ, omnium matrem, quæ nobis Christi Ecclesiam adumbravit, non ita iudicasse. Admirabilis, inquit, mater, quæ nec sexus infirmitate fracta, nec multiplici orbitate commota, morientes liberos spectauit libenter, nec pœnas illas pignorum, sed & glorias computauit.

*Idem libro 4.
epistolarum,
epistola 6. ad
plebem Thibari consist.*

*Lib. 2. Mach.
cap. 7.*

CAPVT VI.

Ex Hieronymo.

DI VVS Hieronymus in epistola ad Rusticum, cuius exordium, Quòd ignotus ad ignotum, & cetera: cum docere vellet, necessariam omnibus esse penitentiam; quia nemo vitam ageret sine peccato; de beato quoque Iob exemplum attexit eiusmodi verbis:

h h

bis